



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

Qvaest. XXXII. De Conceptione Christi quoad actuum principium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

sicut Leui. Quia enim ille, qui decimas dat, nouem sibi retinet, & decimam alij tribuit, quod est perfectionis signum (in quantum est quodammodo terminus omnium numerorum, qui procedunt vsque ad decem) inde est, quod ille, qui decimas dat, protestatur se imperfectum, & perfectionem alij tribuere. Imperfectio autem humani generis est propter peccatum, quod indiget perfectione eius, qui à peccato curat. Curare autem à peccato, est solius Christi: ipse enim est agnus, qui tollit peccata mundi, vt dicitur Ioann. 1. Figuram autem eius gerebat Melchisedec. vt Apostolus probat Hebr. 7. Per hoc ergo, quod Abraham Melchisedec decimas dedit, presignauit se velut in peccato conceptum: & omnes, qui ab eo descensuri erant, e ratione, vt peccatum originale contraherent, indigere curatione, quæ est per Christum. Isaac autem, & Iacob, & Leui, & omnes alij sic fuerunt in Abraham, vt ex eo deriuarentur, non solum secundum corpulentam substantiam, sed etiam secundum rationem seminalem, per quam originale peccatum contrahitur. Et ideo omnes in Abraham sunt decimati, id est, presignati indigere curatione, quæ est per Christum. Solus autem Christus sic fuit in Abraham, vt ab eo deriuaretur, non secundum rationem seminalem, sed secundum corpulentam substantiam, & ideo non fuit in Abraham sicut curatione indigens, sed magis sicut vulneris medicina, & ideo non fuit in lumbis Abraham decimatus. Et per hoc patet responsio ad primum.

Ad secundum dicendum, quod quia B. Virgo fuit in originali peccato concepta, fuit in Abraham sicut curatione indigens: & ideo fuit ibi decimata, velut inde descendens secundum seminalem rationem. De corpore autem Christi non est sic, vt dictum est.

Ad tertium dicendum, quod caro Christi dicitur fuisse in antiquis Patribus peccato obnoxia, secundum qualitatem, quam habuit in ipsis Patribus, qui fuerunt decimati: non autem secundum qualitatem, quam habet, prout est actu in Christo, qui non est decimatus.

Ad quartum dicendum: quod sacerdotium Leuiticum secundum carnis originem deriuabatur: vnde non minus fuit in Abraham, quam in Leui. Vnde per hoc, quod Abraham decimas dedit Melchisedec, tanquam maiori, ostenditur sacerdotium Melchisedec, in quantum gerit figuram Christi, esse maius sacerdotio Leuitico. Sacerdotium autem Christi non sequitur carnis originem, sed gratiam spiritualem. Et ideo potest esse quod pater det decimas alicui sacerdoti tanquam minor maiori: & tamen filius eius, si sit Pontifex, est maior illo sacerdote, non propter carnis originem, sed propter gratiam spiritualem, quam habet à Christo.

COMMENTARIVS.

Heb. 7.
August.

Christus in
lumbis A-
brahe non
decimatus.

Hic articulus positus est ad explicandum locum Pauli ad Hebr. 7. quem Augustinus tractat, & in hunc modum exponit, libro. 10. Genes. ad lit. ca. 12. Probat enim ibi Paulus sacerdotium Leuiticum fuisse minus perfectum sacerdotio Melchisedech, quia in Abraham est decimatus Leui. Abraham enim decimas soluit Melchisedech, quando in lumbis suis Leuiticam prolem continebat. Quo facto mystice, & in figura professus est sacerdotium Leuiticum inferius fore sacerdotio Melchisedech. Ex quo statim oriebat difficultas, nam eodem argumento posset probari sacerdotium Christi esse inferius Melchisedech, quia etiam ipse in lumbis Abraham continebatur. Vnde etiam in persona eius intelligi potest Abraham soluisse decimas, & professus esse illum fore inferiorem, & hoc est Christum esse decimatum in lumbis Abraham. Respondet vero Augustinus non esse eandem rationem de Christo, & de Leui. Quia Christus non continebatur in lumbis Abraham secundum seminalem rationem, sicut ille, sed tantum secundum corpulentam substantiam, & idem.

Fr. Suarez. Tom. 2.

Ad hoc non intelligitur decimatus, sicut ille, quia solum intelligitur decimatus in parente filius in illo contentus secundum seminalem virtutem: & hoc sensu doctrina Augustini, & D. Tho. est certissima, & de fide, & intenta à Paulo in dicto loco.

Obiectio.

Dices, cur tantum intelligitur decimatus filius contentus secundum seminalem rationem, & non ille, qui secundum corpulentam substantiam in illo continetur. Respondetur, sicut in Adam non peccarunt, nisi qui secundum seminalem rationem in eo continebantur, ita nec in Abraham sunt decimati, nisi qui eo modo in lumbis eius existerant. Et ratio proxima est, quam hic reddit D. Thomas, quia Abraham soluendo decimas imperfectionem suam professus est, & defectum suæ conceptionis, & originis, ratione cuius, curatione, quæ per Christum est, indigebat. Quia sicut numerus denarius perfectionem, & consummationem significat: ita solutio decimarum fuit quædam confessio propriæ imperfectionis, & indigentia, quam Abraham exhibuit, representans omnes suos posteros, qui ex vi illius, seu ex vi originis, ab illo, cum eodem defectu & imperfectione dimanaturi erant, huiusmodi autem erant illi tantum, qui secundum seminalem rationem, in eo continebantur. Ratio verò radicalis est, quia filij contenti in seminali virtute parentis, sunt propriè in virtute, & quasi in naturali potestate eius, & ideo operari potest parens vt caput, & principium eorum. At verò filius contentus solum secundum corpulentam substantiam, est in illo tantum secundum potentiam passiuam, & quasi obedientialem, saltem quoad modum generationis, & propagationis, & ideo non operatur propriè huiusmodi pater vt caput, & principium talis filij, ita vt operationes eius ad filium aliquo modo pertinere censeantur.

Responsio.

Et ex his (vt hoc circa solutionem ad secundum D. Thomæ adnotetur) colligitur differentia inter B. Virginem, & Virginem, quia illa decimata fuit in lumbis Abraham, quia in eo secundum seminalem rationem continebatur: ad hoc autem non est necesse vt fuerit in peccato concepta, sed satis est, ex vi suæ originis fuisse peccato obnoxia, & indiguisse redemptione Christi, per quam fuit ab illo peccato præseruata.

B. Virgo in
lumbis A-
brahe decimata.

QVÆSTIO XXXII.

De conceptione Christi, quoad actuum principium, in quatuor articulos diuisa.

De qua disputant Theologi in 3. dist. 4.

Einde considerandum est de principio actiui in conceptione Christi.

Et circa hoc queruntur quatuor.

Primo, vtum Spiritus Sanctus fuerit principium actiui conceptionis Christi.

Secundo, vtum possit dici, quod Christus sit conceptus de Spiritu Sancto.

Tertio, vtum possit dici, quod Spiritus Sanctus sit pater Christi secundum carnem.

Quarto, vtum B. Virgo aliquid actiue egerit in conceptione Christi.

ARTICVLVS I.

Vtrum Spiritus Sanctus fuerit principium actiui conceptionis Christi.



Primum sic proceditur. Videtur, quod 2. dist. ar. 1. efficere conceptionem Christi, non debeat 9. 2. & 4. attribui Spiritui Sancto. Quia vt Augustinus. col. c. 45. & dicit in primo de Trin. Indiuisa sunt opera 46. & p. Trinitatis, sicut & indiuisa est Trinitatis 3. c. 126. & Ioan. 12. li.

176.

1 2

ess-

4. col. 2. fin. essentia. Sed efficere conceptionem Christi, est quoddam opus
cap. 1. lib. 1. diuinitum. Ergo videtur, quod non magis sit attribuendum Spi-
ritui Sancto, quam Patri, vel Filio.
10 3.
Lib. 4. c. 20. temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere.
parum an- Quod exponens August. in 4. de Trinit. dicit, Eo utique mis-
te med. 10. sum, quo factum ex muliere. Sed misio Filij attribuitur
3. 1 p. 9. 43 praeipue Patri, vt in 1 p. habitum est. Ergo, & conceptio
art. 5. secundum quam factus est ex muliere, debet praeipue Patri
attribui.

3. Præterea, Prouerb. 9. dicitur Sapientia edificauit sibi domum. Est autem sapientia Dei ipse Christus: secundum illud 1. ad Cor. 1. Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Domus autem huius sapientie est corpus Christi, quod etiam dicitur templum eius, secundum illud Ioan. 2. Hoc autem dicebat de templo corporis sui: ergo videtur, quod efficere conceptionem corporis Christi, debet praeipue attribui Filio, non ergo Spiritui Sancto.

Sed contra est, quod dicitur Luca 1. Spiritus sanctus superueniet in te, &c.

Respondet dicendum, quod conceptionem corporis Christi tota Trinitas est operata: attribuitur tamen hoc Spiritui Sancto triplici ratione. Primo quidem, quia hoc congruit

2 par. 9. 37. art. 1.

causæ Incarnationis, qua consideratur ex parte Dei, Spiritus enim sanctus est amor Patris, & Filij, vt in prima parte habitum est. Hoc autem ex maximo Dei amore provenit, vt filius Dei carnem sibi assumeret in vtero virginali. Vnde dicitur Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Secundo, quia hoc congruit causæ Incarnationis ex parte naturæ assumptæ. Per hoc enim datur intelligi, quod humana natura assumpta est à filio Dei in unitatem personæ, non ex aliquibus meritis, sed ex sola gratia, quæ Spiritui Sancto attribuitur, secundum illud 1. ad Cor. 1. 2. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Vnde Aug. dicit

Ench. c. 40 non longe à prim. 10. 3.

in Enchirid. Iste modus, quo est natus Christus de Spiritu Sancto, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis, in ipso primo exordio naturæ suæ, quo esse cepit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, vt idem ipse esset filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis, qui filius Dei. Tercio, quia hoc congruit termino Incarnationis. Ad hoc enim terminata est Incarnatio, vt homo ille qui concipiebatur, esset sanctus, & filius Dei. Vtrumque autem horum attribuitur Spiritui Sancto: Nam per ipsum efficiuntur homines filij Dei, secundum illud Gal. 4. Quoniam estis filij Dei, misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra, clamantem Abba, pater. Ipse est etiam Spiritus sanctificationis: vt dicitur Rom. 8. 1. Sicut ergo alij per Spiritum Sanctum sanctificantur spiritualiter, vt sint filij Dei adoptiui: ita Christus per Spiritum Sanctum est in sanctitate conceptus, vt esset filius Dei naturalis. Vnde Rom. 1. secundum vnam glossam, quod præmittitur, scilicet. Qui prædestinatus est filius Dei in virtute manifestatur per id, quod immediate sequitur. Secundum Spiritum sanctificationis, id est, per hoc quod est conceptus de Spiritu Sancto, & Angelus annuntians, ex hoc quod præmiserat, Spiritus Sanctus superueniet in te, concludit, ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.

Ex gloss. ordin. 8. Origen.

Ad primum ergo dicendum, quod opus conceptionis commune quidem est toti Trinitati, secundum tamen modum aliterque attribuitur singulis personis. Nam Patri attribuitur auctoritas respectu personæ filij, qui per huiusmodi conceptionem sibi assumpsit humanam naturam. Filio autem attribuitur ipsa carnis assumptio. Sed Spiritui Sancto attribuitur formatio corporis, quod assumitur à Filio. Nam ipse Spiritus sanctus est Spiritus Filij, secundum illud Gal. 4. Misit Deus Spiritum filij sui. Sicut autem virtus animæ, quæ est in semine per spiritum, qui in semine includitur, format corpus in generatione aliorum hominum: ita virtus Dei, quæ est ipse filius (secundum illud 1. ad Cor. 1. Christum Dei virtutem) per Spiritum Sanctum corpus formauit, quod assumpsit. Et hoc etiam

verba Angeli demonstrant, dicentis, Spiritus sanctus superueniet in te, quasi ad præparandam, & formandam materiam corporis Christi, & virtus Altissimi, id est, Christus obumbrabit tibi, id est, corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen diuinitatis. Vmbra enim à lumine formatur, & corpore: vt Greg. dicit 18. Mor. Altissimus autem intelligitur Pater, cuius virtus est Filius.

Ad secundum dicendum, quod misio refertur ad personam assumptam, quæ à Patre mittitur: sed conceptio refertur ad corpus assumptum, quod operatione Spiritus sancti formatur. Et ideo licet misio, & conceptio sint idem subiecto: quia tamē differunt ratione, misio attribuitur Patri, efficere autem conceptionem Spiritui Sancto: sed carnem assumere attribuitur Filio.

Ad tertium dicendum, quod sicut August. dicit in libro de Questionibus veteris & noui Testamenti, quæstio ista gemina ratione potest intelligi. Primum enim domus Christi Ecclesia est, quam edificauit sibi sanguine suo. Deinde potest & corpus eius dici ipsius, sicut dicitur templum eius. Factum autem Spiritus sancti corpus filij Dei est, propter naturam, & voluntatis unitatem.

COMMENTARIVS.

Vo intendit docere D. Thom. in hoc articulo. Alterum est ad rem pertinens, scilicet conceptionem Christi, solius Dei efficacia fuisse perfectam, & hoc simpliciter affirmat, dicens totam Trinitatem conceptionis illius fuisse principium. Et nullam adiunxit probationem, præter testimonium Luc. 1. quia hæc res est in fide notissima, & in superioribus satis tractata, de qua diximus in superiori tomo, cum de causis vniionis hypostatice; & in hoc, cum de virginitate Dei paræ disputaremus. Alterū verò, quod D. Thom. docet ad modum loquendi spectat, nimirum, hanc operationem attribui, & appropriari Spiritui Sancto. Cuius modi loquendi optimas rationes adducit, & adeo perspicue, vt nihil addere oporteat, solum notanda videntur expositiones aliquorum locorum Scripturæ, quas in hoc art. tradit.

Prima est in corpore art. circa illa verba Paul. ad Gal. 4. Quoniam estis filij Dei, misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba, pater. Ex quibus verbis D. Tho. colligit, Spiritum Sanctum esse, qui filios Dei constituit, cum tamen Paulus solum dicere videatur, Spiritum sanctum esse, qui filios Dei clamare facit, Abba, pater, Et potius indicet supponi prius filios Dei constitutos, & ideo dari illis Spiritum Sanctum, qui hunc effectum in eis efficiat: vt insinuant verba illa, Quoniam estis filij Dei, & Chrysostomus illa exponens indicauit. Respondet Caietan. hic D. Thomam sumpsisse argumentum à posteriori ex illo loco. Nam in hac spiritali generatione idem est principium, quo efficiuntur filij, & quo propria affectum filiorum concipimus. Quia ergo Paulus affirmat Spiritum Sanctum esse, qui in nobis affectum illū operatur, ex quo clamamus, Abba, pater, ideo ex hoc testimonio colligit D. Thom. illum esse, qui nos filios adoptiuos efficit. Quem sensum indicauit Anselmus, circa hunc locum dicens. Effectus ergo probat vtroque Dei filios esse, dum in cordibus vtrorumque clamat Spiritus Sanctus ad Deum, Abba, pater. Et quia est spiritalis ille clamor, nisi pius affectus electorum erga Deum. Quæ expositio probabilis est. D. Thom. autem Thomas sine dubio alludit ad illius loci intelligentiam, quam ipse tradidit lect. 3. in illud. capit. vbi sic exponit, Quoniam estis filij Dei, modus adipsendum hoc donum, non est per coniunctionem cum Christo secundum carnem: sed per missionem spiritus filij in corda vestra, per quem estis Christo coniuncti, & adoptati in filios, & in illo clamatis, Abba, pater. Qui sensus est consentaneus eidem Paulo ad Roman. 8. dicenti, Accipitis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, pater: ipse enim spiritus testimonium reddit

Expositio in locū Pauli. Galat. 4.

Chrysostomus Caiet.

Anselm.

Roman. 8.

spiritui nostro, quod sumus filij Dei, Itaque ideo ille spiritus facit nos clamare, Abba pater, quia facit nos filios Dei: est enim spiritus verax, & efficax: neque ob aliam causam illi attribuitur ille affectus, & operatio clamandi, Abba pater, nisi quia gratia, & adoptio, à qua procedit, eidem Spiritui Sancto accommodatur.

Secunda est in eodem corpor. circa illa verba ad Rom. 1. Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis. In quo ultimo verbo vult D. Thomas significatam esse conceptionem Christi ex Spiritu Sancto. Quod duobus modis potest accommodari, scilicet, inde constare Christum esse filium Dei, quia in virtute Spiritus Sancti, qui est spiritus sanctificationis, conceptus est. Vel certe, quia prædestinatus est filius Dei, ideo etiam esse prædestinatum, ut in virtute per spiritum sanctificationis conciperetur. Fateor tamen utramque expositionem esse durissulam. Sed locum hunc satis fufe tractauimus supra. q. 24.

Tertia est in sol. ad. 1. circa illa verba angeli Luc. 1. Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Vbi nomine Spiritus Sancti tertiam Trinitatis personam intelligit, cui Christi conceptio attribuitur: per virtutem autem Altissimi intelligit filium, qui est, virtus altissimi, id est, æterni Patris, & obumbraturus dicitur Virginem, quatenus in ea corpus humanitatis erat assumpturus, quo suæ diuinitatis lumen quodammodo tegens, posset ab illa verus Deus, & homo concipi. Quam expositionem indicauit Greg. libr. 18. Mor. cap. 12. Bern. hom. 4. in Missus est, & Gregor. Nyssenus oratione de sancta Christinatuuitate, post medium, & Theophyl. Luc. 1. ubi per virtutem altissimi, Verbum etiam diuinum intelligit, verbum autem obumbrandi aliter interpretatur, nimirum ut idem sit, quod tegere, & vndeque circumdare, & apprehendere Virginem. Sicut gallina, inquit, contegens pullos suos, eos obumbrare dici potest. Et hæc expositio probabilis est hoc modo intellecta. Ut autem in superioribus annotauit ex Aug. lib. 3. contra Maxim. in cap. 17. Ariani illa abutebantur, ut Spiritum Sanctum minorem filio facerent illique solum materiæ præparationem: huic verò propriam corporis formationem attribuerent, non solum per appropriationem, sed per proprietatem, inter personas opera distribuentes. Qui sensus hæreticus est. Alij ergo per virtutem altissimi, omnipotentiam Dei Patris potius intelligunt, ut in hac conceptione pater appropriatione quadam intelligatur habere locum generantis, & obumbrantis, & quasi contegentis Virginem, & loco feminis Spiritum Sanctum in eam immittentis, cuius opera conciperet. Quam expositionem & probat, & latius exponit Iansenius. Mihi verò verisimilius est totum illud sermonem esse de Spiritu Sancto, posterioremque particulam nihil aliud, quam prioris expositionem continere, ac si clarius diceret Angelus, Spiritus Sanctus superueniet in te, suaque omnipotenti virtute te proteget, & confortabit, vimque tribuet, ut sine virginitatis tuæ detrimento possis concipere. Ita exponit Euthym. & indicat Damascen. lib. 3. de fide capit. 1. Neque ab illa Spiritus Sancti obumbratione excluditur, quod idem Spiritus Sanctus mentem Virginis recreauerit, cœlesti refrigerium illi conferens, ut Greg. loco citato exposuit. Neque etiam excluditur, quod omnis concupiscentiæ motum, ac fomitis incendium extinxerit, ut Cyprian. exponit serm. de natiuit. Ambros. libr. de mysteriis, ca. 3. & Beda ibi. Verbum enim obumbrandi, simpliciter explicatum nihil aliud, quam protegere significat, iuxta illud. Scapulus suus obumbrabit tibi, Vnde omnes prædictos effectus optime in significatione sua complectitur.

Quarta est in sol. ad 3. circa illa verba Prouer. 9. sapientia edificauit sibi domum, quæ dicit tam de Ec-

clesia, quam de hoc mysterio intelligi posse. Et utraque expositio est frequens apud Sanctos, ut videre licet in Cypriano epist. 63. & Aug. 17. de Ciuit. c. 20. & alijs, quæ in proœmio totius materiæ adduximus. Qui sensus, licet fortasse mystici sint: sublimes tamen sunt, ac veneratione suscipiendi maxima.

ARTICVLVS II.

Utrum Christus debeat dici conceptus de Spiritu Sancto.



De secundum sic proceditur. Videtur, quod Christus non debeat dici conceptus de Spiritu Sancto. Quia super illud Roman. 2. Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, dicit gloss. August. Attendendum, quod non air de ipso, sed ex ipso: ex ipso enim cœli sunt, & terra, quia ipse fecit ea: non autem de ipso, quia non de substantia sua. Sed Spiritus Sanctus non formauit corpus Christi de substantia sua. Ergo Christus non debet dici conceptus de Spiritu Sancto.

2. Præterea. Principium actiuium, de quo aliquid concipitur, se habet sicut semen in generatione. Sed Spiritus Sanctus non se habuit sicut semen in conceptione Christi. Dicit enim Hieron. in expositione Catholica fidei, non sicut quidam sceleratissimi opinantur, Spiritum Sanctum ante med. dicimus fuisse pro semine, sed potentia, ac virtute creatoris illius. 2. dicimus esse operatum, id est, formatum corpus Christi. Non ergo debet dici, quod Christus sit conceptus de Spiritu Sancto.

3. Præterea, Nihil vnum de duobus formatur, nisi aliquo modo commixtus. Sed corpus Christi formatum est de virgine Maria. Si ergo Christus dicatur conceptus de Spiritu Sancto, videtur, quod facta sit commixtio quadam Spiritus Sancti, & materiæ, quam Virgo ministravit quod patet esse falsum. Non ergo Christus debet dici conceptus de Spiritu Sancto.

Sed contra est, quod dicitur Matthæi primo, Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto.

Respondetur dicendum, quod conceptio non attribuitur soli corpori Christi, sed etiam ipsi Christo, ratione ipsius corporis. In Spiritu autem Sancto duplex habitudo consideratur respectu Christi. Nam ad ipsum filium Dei, qui dicitur esse conceptus, habet habitudinem consubstantialitatis: ad corpus autem eius habet habitudinem cause efficientis. Hæc autem præpositio, De, utramque habitudinem designat, sicut cum dicitur inus hominem aliquem esse de suo patre. Et ideo conuenienter dicere possumus Christum esse conceptum de Spiritu Sancto, hoc modo, quod efficientia Spiritus Sancti referatur ad corpus assumptum: consubstantialitas vero ad personam assumptam.

Ad primum ergo dicendum, quod corpus Christi, quia non est consubstantiale Spiritui Sancto, non proprie potest dici de Spiritu Sancto conceptum, sed magis ex Spiritu Sancto. Sicut Ambros. dicit in libro de Spiritu Sancto, quod ex aliquo est, aut ex substantia, aut ex potestate eius est. Ex substantia, sicut filius, qui a patre est: ex potestate, sicut ex Deo omnia: quomodo & in vtero habuit Maria ex Spiritu Sancto.

Ad secundum dicendum, quod super hoc videtur esse quadam diuersitas Hieron. ad quosdam alios doctores, qui asserunt Spiritum Sanctum in conceptione Christi fuisse pro semine. Dicit enim Chrysost. super Matth. Vnigenito Dei in Virginem ingressuro, præfuit Spiritus Sanctus, ut præcedente Spiritu Sancto in sanctificationem, nascatur scilicet Christus secundum corpus, diuinitate ingrediente pro semine. Et Damasc. dicit in 3. libro. Obumbravit su-

177.
3. dist. 4. q. 1.
art. 1. q. 4.
et 4. cont.
c. 46. et op.
3. cap. 12. et.
Aug. in lib.
de natura
beni. c. 27.
tom. 6.

li. 2. c. 5. non
ne, tom. 3.

Hom. 1. in
Mat. in ope
re imperfe-
cto in ult.
fol. ante fin.
3. et 1. f. 6. 2.
circa princ.

per ipsam Dei sapientia, & virtus, velut diuinum semen. Sed hoc facile soluitur: quia secundum quod in semine, intelligitur virtus actiua, sic Chrysost. & Damasc. comparant semini Spiritum sanctum: vel etiam Filium, qui est virtus Altissimi. Secundum autem quod in semine intelligitur substantia corporalis, quæ in conceptione transmutatur, negat Hieronymus Spiritum sanctum fuisse pro semine.

Ad tertium dicendum, quod sicut August. dicit in Enchir. non eodem modo dicitur Christus conceptus, aut natus de Spiritu sancto, & de Maria virgine, nam de Maria virgine materialiter, de Spiritu sancto vero effectiue. Et ideo non habuit hic locum commixtio.

COMMENTARIUS.

Hic solum voluit D. Th. proprietatem loquutionis explicare, propter illam particulam, de, quæ (vt Theologi volunt) consubstantialitatem indicat, in quo differt ab illa particula, ex, quæ latorem habet significationem, solumque ordinem seu habitudinem vnus ab alio significat, vt eleganter tractat August. lib. de natura boni contra Manichæos, capit. 26. & 27. & D. Tho. hic, & aliis locis frequenter. Vnde videtur fieri, Christum recte dici ex Spiritu sancto conceptum, non tamen de Spiritu sancto, quia quatenus Spiritus sancti opera conceptus est, non est illi consubstantialis. In contrarium vero est, quia Matth. 1. habentur illa verba Angeli. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, quibus responderi posset in Græco haberi particulam, ex, quæ optimè veriti posset per particulam, ex, vt vertit, & interpretatur Ambrosius. Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto, cap. 5. Tamen quia vulgata lectio habet, de Spiritu sancto, & Ecclesia in simbolo confitetur, conceptum de Spiritu sancto, ideo D. Thomas (quem ceteri Theologi in 3. d. 4. imitantur) defendit propositionem illam in rigore esse veram. Quia Christus simpliciter dictus suppositum includit, & pro illo supponit, quod est consubstantialia Spiritui sancto, & hoc satis est, vt possit dici Christus de Spiritu sancto conceptus: neque oportet vt secundum eam naturam, in qua conceptus est, sit consubstantialis. Vnde in solutionibus argumentorum rectè D. Thom. colligit corpus Christi non propriè dici de Spiritu sancto, sed ex Spiritu sancto. Quia illud est quidem ab Spiritu sancto, vt ab efficiente causa: non tamen est illi consubstantialia, nec pro supposito eiusdem substantiæ supponit.

Circa solutionem ad 2. de locutione illa, Spiritum sanctum in hac conceptione fuisse loco seminis, videantur supra notata disp. 5. sect. 1. in sexta probatio ne primæ conclusionis.

ARTICVLVS III.

Utrum Spiritus sanctus dici debeat pater Christi secundum carnem.



Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Spiritus sanctus debeat dici pater Christi secundum humanitatem. Quia secundum Philosophum in libro de Generatione animalium, pater dat principium actuum in generatione, mater vero ministrat materiam. Sed B. Virgo dicitur mater Christi propter materiam. Ergo videtur, quod etiam Spiritus sanctus possit dici pater eius, propter hoc, quod fuit principium actuum in conceptione ipsius.

2. Præterea, Sicut mentes aliorum Sanctorum formantur per Spiritum sanctum, ita etiam corpus Christi est per Spiritum sanctum formatum. Sed alij Sancti propter prædictam formationem dicuntur filij totius Trinitatis, & per consequens Spiritus sancti. Videtur ergo, quod Christus debeat dici filius Spiritus sancti, in quantum corpus eius est à Spiritu sancto formatum.

3. Præterea, Deus dicitur pater noster secundum hoc quod nos fecit, secundum illud Deut. 32. Nonne ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te? Sed Spiritus sanctus fecit corpus Christi, vt dictum est. Ergo Spiritus sanctus debet dici pater Christi secundum corpus ab ipso formatum.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in Enchir. Natus est Christus de Spiritu sancto non sicut filius, & de Maria Virgine sicut filius.

Respondeo dicendum, quod nomina paternitatis, & maternitatis, & filiationis generationem consequuntur, non tamen quamlibet, sed propriè generationem viuientium, & præcipue animalium. Non enim dicimus, quod ignis generatus sit filius ignis generantis, nisi forte secundum metaphoram, sed hoc solum dicimus in animalibus, quorum generatio est magis perfecta. Nec tamen omne quod in animalibus generatur, filiationis accipit nomen, sed solum illud quod generatur in similitudinem generantis. Vnde sicut Augustinus dicit, non dicimus quod capillus, qui nascitur ex homine, sit filius hominis: nec etiam dicimus quod homo qui nascitur ex homine, sit filius hominis, quia nec capillus habet similitudinem hominis, nec homo qui nascitur ex semine, habet similitudinem seminis: sed hominis generantis. Et si quidem perfecta sit similitudo, erit perfecta filiatio, tam in diuinis quam in humanis. Si autem sit similitudo imperfecta, erit etiam filiatio imperfecta. Sicut in homine est quadam similitudo Dei imperfecta, & in quantum creatus est ad imaginem Dei, & in quantum creatus est secundum similitudinem gratiæ. Et ideo viroque modo potest homo dici filius Dei, & quia scilicet est creatus ad imaginem eius: & quia est ei assimilatus per gratiam. Est autem considerandum quod illud, quod de aliquo dicitur secundum perfectam rationem, non est dicendum de eo secundum rationem imperfectam: sicut quia Socrates dicitur naturaliter homo, secundum propriam rationem hominis, nunquam dicitur homo secundum illam significationem, qua pictura hominis dicitur homo, licet forte ipse assimiletur alteri homini: Christus autem est filius Dei secundum perfectam rationem filiationis: vnde quamuis secundum humanam naturam sit creatus, & iustificatus: non tamen debet dici filius Dei, neque ratione iustificationis, sed solum ratione generationis æternæ, secundum quam est filius patris solius. Et ideo nullo modo debet dici Christus filius Spiritus sancti, nec etiam totius Trinitatis.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus conceptus est de Maria Virgine materiam ministrante in similitudinem speciei: & ideo dicitur filius eius. Christus autem secundum quod homo conceptus est de Spiritu sancto sicut de actiuo principio, non tamen secundum similitudinem speciei, sicut homo nascitur de patre suo, & ideo Christus non dicitur filius Spiritus sancti.

Ad secundum dicendum, quod homines, qui spiritaliter formantur à Spiritu sancto, non possunt dici filij Dei secundum perfectam rationem filiationis. Et ideo dicuntur filij Dei secundum filiationem imperfectam, quæ est à tota Trinitate. Sed de Christo est alia ratio, vt dictum est. Et similiter dicendum est ad tertium.

COMMENTARIUS.

Plus docet D. Tho. in artic. quam proponat in titulo. Cum enim quaesierit, an Christus ratione humanæ conceptionis possit dici Spiritus sancti filius, respondet nec ratione conceptionis, nec ratione creationis, nec ratione iustificationis posse Christum dici filium vel Spiritus sancti, vel totius Trinitatis. Et de primo quidem membro, quod ad hunc articulum propriè spectat, res est certissima, & omni carens difficultate, Christum vt hominem non posse dici filium Spiritus sancti, propterea quod per potest

Locum nunc proxime distans.

Hieron. in arg. cap. 38. 39. & 40.

August. 26. & 27. & D. Tho. hic, & aliis locis frequenter.

Christus vere dicitur de Spiritu sancto conceptus.

Ambrosius.

D. Thom.

178.
3. dist. 4. q. 1.
art. 2. q. 1.
q. 2. ad
1. ad 4. &
in expos.
lit. ad 2. &
4. contra c.
47. & op. 4.
c. 110. li. 2.
c. 3. & 4.
10. 4.

Christus etiam vt homo non per potest

11. Spiritus Sanctus, inquit, non est pater filij incarnati, ne duos filios introducamus, & Chryl. hom. 2. in symbol. Apost. tom. 5. Non intelligas, inquit, patrem Christi secundum carnem Spiritum Sanctum esse. Idem optimè docuit. Aug. in Enchirid. c. 38. & 39. Rupert. libr. 1. de operib. Spiritus Sancti, c. 10. ubi propriè rationem tetigit, quam etiam adduxit D. Th. in sol. ad 1. scilicet quia Christus ut homo non procedit ab Spiritu Sancto secundum similitudinem speciei: pater autem non dicitur, nisi qui producit sibi simile in natura viuens ex vi productionis.

per efficientiam eius sit conceptus. Vnde Conc. Tol. 11. Spiritus Sanctus, inquit, non est pater filij incarnati, ne duos filios introducamus, & Chryl. hom. 2. in symbol. Apost. tom. 5. Non intelligas, inquit, patrem Christi secundum carnem Spiritum Sanctum esse. Idem optimè docuit. Aug. in Enchirid. c. 38. & 39. Rupert. libr. 1. de operib. Spiritus Sancti, c. 10. ubi propriè rationem tetigit, quam etiam adduxit D. Th. in sol. ad 1. scilicet quia Christus ut homo non procedit ab Spiritu Sancto secundum similitudinem speciei: pater autem non dicitur, nisi qui producit sibi simile in natura viuens ex vi productionis.

Alia vero duò membra, quæ tractant de relatione fundata in creatione, vel iustificatione secundum humanitatem, ad hunc locum non spectant, & quod D. Th. hic dixit sine controuersia verum est, sc. Christum non esse his nominibus, seu titulis filium appellandum, cum nobilior filiationi illi conueniat. Quod præsertim est certum, si de Christo simpliciter & absolute additione vlla loquamur. Cum enim simpliciter non possit appellari creatura, nec vocari poterit absolute filius ratione creationis. Et eadem ratione non erit filius dicendus propter iustificationem creatam, quia simpliciter non est sanctus per participationem: sed per essentiam. An verò Christus in quantum homo possit dici creatura, & consequenter an habeat relationem creaturæ ad Deum, quæ per metaphoram, & lato modo, filiatione vocatur, supra q. 16. tractatum est. Et de requidem non est dubium, quin talis relatio in Christum vt hominem conueniat, consultius tamen est non appellare illam filiationem, ad tollendam omnem æquiuocationem, & occasionem erroris, cum talis relatio, vera filiatione non fit. De alia verò relatione Christi, vt hominis, fundata in gratia sanctificante, vel vniõis, vel habituali, supra q. 23. fusè satis disputatum est.

ARTICVLVS IV.

Virum B. Virgo aliquid actiue egerit in conceptione corporis Christi.

179. In q. 31. art. 4. ad 2. & 3. diff. 3. q. 2. art. 1. lib. 3. cap. 2. parum annot. in med.

Quartum sic proceditur. Videtur, quod B. Virgo aliquid actiue egerit in conceptione corporis Christi. Dicit enim Damascen. in 3. libro, quod Spiritus sanctus superuenit Virgini, purgans ipsam, & virtutem suscepiuam Verbi Dei tribuens, simul autem & generatiuam. Sed virtutem generatiuam passiuam habebat à natura sicut & qualibet femina. Ergo dedit ei virtutem generatiuam actiuam, & sic aliquid actiue egerit in conceptione Christi.

2. Præterea, Omnes virtutes animæ vegetabilis sunt virtutes actiue: sicut Commen. dicit in 2. de Anima. Sed potentia generatiua, tam in mare, quam in femina pertinet ad animam vegetabilem: ergo tam in mare, quam in femina actiue operatur ad conceptionem prolis.

3. Præterea, Femina ad conceptionem prolis materiam ministrat, ex qua naturaliter corpus prolis formatur. Sed natura est principium motus intrinsecum, ergo videtur, quod in ipsa materia, quam B. Virgo ministravit ad conceptum Christi fuerit aliquod principium actiuum.

lib. 10. c. 20. in 3.

Sed contra est, quod principium actiuum in generatione dicitur ratio seminalis. Sed sicut Aug. dicit. 10. super Gen. ad literam: corpus Christi in sola materia corporali, per diuinam conceptionis, formationisque rationem de Virgine assumptum est, non autem secundum aliquam rationem feminalem humanam. Ergo B. Virgo nihil actiue fecit in conceptione corporis Christi.

Respondendo dicendum, quod quidam dicunt B. Virginem aliquid actiue operatam esse in conceptione Christi, & naturali virtute, & supernaturali. Naturali quidem virtute, quia ponunt, quod in qualibet materia naturali est aliquod acti-

num principium: alioquin credunt, quod non esset transmutatio naturalis. In quo decipiuntur: quia transmutatio dicitur naturalis, propter principium intrinsecum, non solum actiuum, sed etiam passiuum. Expresse enim dicit Philo. in 8. Phys. quod in grauib. & leuib. est principium passiuum motus naturalis, & non actiuum. Nec est possibile, quod materia agat ad sui formationem: quia non est actu. Et est etiam possibile, quod aliquid moueat seipsum, nisi diuidatur in duas partes, quarum vna sit mouens, & alia sit mota: quod in solis animatis contingit: vt probatur. 8. Physic. Supernaturali autem virtute: quia dicunt ad matrem requiri, quod non solum materiam ministrat (quæ est sanguis menstruus) sed etiam semen, quod commixtum virili semini habet virtutem actiuam in generatione. Et quia in B. Virgine nulla fuit facta resolutio seminis propter integritatem eius virginis, dicunt, quod Spiritus Sanctus supernaturaliter ei tribuit virtutem actiuam in conceptione corporis Christi, quam alie matres habent per semen resolutum. Sed hoc non potest stare, quia cū qualibet res sit propter suam operationem (vt dicitur secundo de celo) natura non distingueret ad opus generationis sexum maris, & femine, nisi esset distincta operatio maris ab operatione femine. In generatione autem distinguitur operatio agentis, & patientis. Vnde relinquitur quod tota virtus actiua sit ex parte maris: passio autem ex parte femine. Propter quod in plantis, in quibus vtræq. vi commiscetur, non est distinctio maris, & femine. Quia igitur B. Virgo non hoc accepit, vt esset Pater Christi sed mater, consequens est quod non acceperit potentiam actiuam in conceptione Christi, siue aliquid egerit: ex quo sequitur ipsam fuisse patrem Christi: siue nihil egerit, (vt quidam dicunt) ex quo sequitur huiusmodi potentiam actiuam sibi frustra fuisse collatam. Et ideo dicendum est, quod in ipsa conceptione Christi, B. Virgo nihil actiue operata est, sed solum materiam ministravit. Operata tamen est ante conceptionem aliquid actiue, preparando materiam, vt esset apta conceptui.

Ad primum ergo dicendum, quod illa conceptio tria priuilegia habuit, scilicet quod esset sine peccato originali: quod esset non puri hominis, sed Dei, & hominis: item quod esset coconceptio Virginis. Et hæc tria habuit à Spiritu Sancto. Et ideo loco citato dicit Damascenus quantum ad primum, quod Spiritus Sanctus superuenit Virgini purgans ipsam, id est, præseruans, ne cum peccato originali conciperet. Quantum ad secundum dicit, & virtutem suscepiuam Verbi Dei tribuens, id est, vt conciperet Verbum Dei. Quantum autem ad tertium dicit, simul autem, & generatiuam, vt scilicet manens virgo posset generare, non quidem actiue, sed passiuè: sicut alie matres hoc consequuntur ex semine viri.

Ad secundum dicendum, quod potentia generatiua in femina est imperfecta respectu potentie generatiue, quæ est in matre. Et ideo sicut in artibus, ars inferior disponit materiam, ars autem superior inducit formam, vt dicitur in 2. Physic. ita etiam virtus generatiua femine preparat materiam, virtus autem actiua maris format materiam preparatam.

Ad tertium dicendum, quod ad hoc, quod transmutatio sit naturalis, non requiritur, quod in materia sit principium actiuum, sed solum passiuum, vt dictum est.

COMMENTARIVS.

Hic articulo non existimaui addendum esse commentarium. Nam multa philosophica, quæ D. Tho. in eo attingit, si discutienda essent, longam requirerent disputationem à nostro instituto satis alienam. Quæ verò ad mysterium conceptionis Christi explicandum necessaria fuerint, in sequenti disputatione attingemus commodius.

);(

DISPUTATIO X.

In tres sectiones distributa.

De causis, quæ humanam Christi conceptionem ex Virgine operata sunt.

Quod fuerit in Christo humana conceptio, disputari non oportet, cum in superioribus tractando de ipso Incarnationis mysterio, & de dignitate matris Dei, eiusque virginitate satis ex principiis fidei probatum sit. Quid etiã sit hæc conceptio, disputationem non requirit, cum hæc questio ceteris hominibus communis sit: id verò, quod in Christi conceptione fuit proprium, explicatis causis, & modo eius constabit. Hoc igitur in hac, & in sequenti disputatione præstandum est. Ex quatuor autem causis, quæ ad naturales effectus concurrere solent: finalis in præsentī disputatione clara est. Proximus enim finis huius conceptionis fuit, ut gigneretur homo Deus. Vnde omne id, quod fuit incarnationis finis, potest dici finalis causa huius conceptionis, de qua re in prima q. huius 3. p. facis dictum est. Causa formalis propria, & intrinseca conceptionis huius fuit vera anima rationalis vero corpori humano unita: vnde hoc ipsum corpus, seu materia eius fuit intrinseca materialis causa eiusdem conceptionis, de quibus in q. 4. 5. & 6 huius 3. p. fusè disseruimus, non est ergo, quod sine utilitate eadem repetamus. Idem enim est dicere Verbum assumpsisse verum corpus humanum, veramq; animam rationalem, & dicere hæc intrinseca humanæ conceptionis eius fuisse principia. Superest igitur tantum, ut de causa ministrante materiam, & per modum matris concurrente ac de efficiente causa dicamus.

SECTIO I.

Quomodo B. Virgo materiam ministraverit, ex qua conceptus fuit Christus.

Inquiro potius, quomodo hoc factum sit, quàm an sit factum, qui suppono B. Virginem veram Christi, ac Dei fuisse matrem, hoc enim tãquam primum fundamentum huius materiæ in disp. n. huius tomī tactum, probatumque est. Ex quo nunc infero id, quod de fide etiã certum est, Christum ex substantia Virginis fuisse conceptum: hoc enim necessarium est, ut ipsa fuerit vera eius mater, & propterea dixit Paul. ad Galat. 4. *Misisse Deum filium suum factum ex muliere*, id est, substantia eius. Et eandem vim habet verbum illud ad Rom. 1. *Qui factus est ex semine David secundum carnem*, & illud Angeli, Luc. 1. *Quod enim ex te nascetur sanctum*. Ut enim inquit Athanas. *serm. contra omnes hæreses, si dixisset, per te, verisimile aliquid haberet impudentia eorum, qui dixerunt Verbum transisse per Virginem tanquam per canalem; ceterum cum dicat, ex te, clare demonstrat Verbum assumpsisse ex ea humanum templum*. Quod ferè eodem modo ponderauerat Ambros. lib. de Incarn. Dom. sacramento. c. 6. & optime August. afferens prædicta tria testimonia, *serm. 193. de tempore*. Et ad hoc confirmandum valent omnia, quæ supra adduximus, & ad probandum Deiparam esse veram matrem Christi, & ad ostendendum Christum, & Virginem ducere genealogiam ex David. Nam ut rectè dixit Theod. Dia. 2. *si Christus non sumpsit substantiam corpoream ex Virgine, vano sunt omnes promissiones antiquis Patribus factæ*. Nam multo minus sumpsisset ex illis, quia non nisi media Virgine aliquid ab eis accipere potuit: Et hæc etiã ratione dicitur Christus *consensus in antiquis patribus*, i.

*A*bus, seu, in lumbis eorum, ut citato loco tractauimus. Vnde Aug. lib. 2. de gratia Christi, seu peccato originali. cap. 27. notat, ideo Abraham iussisse seruum suū ponere manum *sub femore suo* ad iurandum Gen. 24. quia caro Christi de illo femore propaganda erat quod etiã notauit Chrys. orat. quadam super illū locum, quæ inter quasdam nondum Latinas factas circumfertur. Deniq; veritas hæc definita est in omnibus concilijs quæ de hac materia tractant. Ephesino Chalced. Quinta Synodo, actio. 8. can. 2. Sexta Synod. act. 11. & act. 13. cap. 2. Lateranensi. sub Martino primo, & alijs, quæ in citatis locis latè adduximus: tradunt etiã frequenter Patres, præsertim videri possunt Damascen. lib. 3. c. 2. & 3. lib. 4. c. 15. & Ambr. dicto lib. de Incarnation. Dominicæ sacramento. c. 9. Aug. contra Epist. fundamenti c. 7. Ratio autem à priori est diuina voluntas, quæ statuit Christi conceptionem, & incarnationem hoc modo fieri. A posteriori verò optima ratio est. Nam si nihil de Virgine erat sumpturus, quorū per illam transiret, & nasceretur, nisi fortasse, ut nos deciperemur? Nam si B. Virgo nihil de suo in eum transtulit, reuera non peperit filium suum: sed protulit effectum alienum. Coniecturæ autem, seu congruentiæ sunt omnes quibus supra ostendimus decuisse Deum nasci ex femina, & fieri filium eius: itemque ad vincendum demonem oportuisse assumere naturam ex eadē massa quæ in primo homine lapsa fuerat, ut hoc modo medicina esset magis accommodata vulneri, & satisfactio quadam ratione magis propria exhiberetur in ea natura, per quam Deus fuerat offensus. Propter quod ad Hebr. 2. dicitur, *qui sanctificauit, & sanctificauerunt ex vno omnes, & infra, Qui a pueri communicauerunt carni, & sanguini, & filius Dei participauit eisdem*.

Secundò ex eodem principio inferitur Christum conceptum esse ex purissimis sanguinibus Beatissimæ Virginis, ipsa suum sanguinem ministrante eo modo, quo veram humanam generationem ex parte matris fieri necesse est, ut explicando art. 5. D. Th. in q. 31. dictum est, & eleganter explicat Sophr. in sua epistola.

Difficultas igitur tantum superest, quomodo potuerit B. Virgo ita ministrare materiam ad Christi conceptionem, ut verè ac propriè maternum concursus hac in parte præstiterit. Et ratio difficultatis est. Primò, ex parte ipsius materiæ, nam aliæ matres partim ministrant sanguinem, partim etiam semen. Nam iuxta Galeni sententiam, lib. 1. de semine, fœtus non tantum formatur ex sanguine tanquam ex materia: sed etiam ex semine foemineo, & virili quoad partes solidiores, quales sunt venæ, arteriæ, nerui, & similes, quæ facilius ex re crassa, & viscosa, cuiusmodi semen est, quam ex sanguine formantur. Quam sententiam Medici, & Philosophi frequentius sequuntur: at B. Virgo non ministravit semen, ergo non habuit plenum concursus maternum in ea conceptione. Et ex parte etiã ipsius sanguinis est difficultas, quia aliæ foeminae ministrant sanguinem menstruum ad formationem fœtus. B. autem Virgo ex purissimis sanguinibus Christum concepit, Denique in modo ministrandi est difficultas, quia aliæ foeminae ministrant modo, & facultate vitali, quia generare, & concipere est actus vitæ vegetatiuæ, qui requirit tempus, successionem, & modum à natura præscriptum: quæ omnia in hac conceptione seruata non sunt, quia (ut disput. sequenti dicemus) Spiritus Sanctus infinita suauitate subito formauit prolem. Nec satisfaciunt, si quis respondeat ut B. Virgo dicatur concepissee Christum ex sua substantia, satis esse, quod ex ipsius sanguine Christi corpus fuerit formatum, quacunque ratione id factum sit. Hoc enim reuera non est satis ad veram conceptionem humanam, neque ut B. Virgo sit verè mater: sicut neque Adam dici potuit pater, aut mater,

To 1. Disp.
2. sect. 3. &
Disp. 5 per
solam.

Christus ex
substantia
Virginis
conceptus.
Gal. 4.

Rom. 1.
Luc. 3.
Athanas.

Ambr.
August.

Theod.

ed quod Eua fuerit de costa eius formata, nec Beata Virgo diceretur verè peperisse filium, nisi per naturales vias illum emisisset, neque etiam fuisset vera conceptio, si (vt quidam dixerunt) Christi corpus non in vtero, sed in corde, aliaue parte corporis formatum esset. Necessarium ergo est, vt conceptio facta fuerit ex materia à natura determinata ad formationem humanæ proles, & modo vitali, ac humano, aliàs reuera non fuisset vera conceptio, nec B. Virgo vera mater euasisset.

Respondetur, difficultatem hanc multum ex principijs philosophicis pendere, quæ hoc in loco examinanda non sunt, sed supponenda. Solum oportet vt Theologus aduertat, Philosophiam subditam esse debere, & subordinatam Theologiæ, huius enim veritas certior est, & quodammodo regula philosophicæ veritatis, ita vt nihil possit esse in philosophia verum, quod Theologicis principijs sit contrarium. Duo igitur principia hic certa esse oportet. Alterū est B. Virginem concepisse, integerrima, prorsusq; illibata manente illius virginitate. Alterum ita concepisse, vt propriè, ac verè mater effecta sit: quæ duo in superioribus demonstrata sunt.

Ex his inferitur primò, B. Virginem concepisse filium in vtero, & in loco femineo corporis ad concipiendum foetum à natura destinato. Quod optimè coniungit Caiet. hic q. 31. ar. 5. contra quosdam, quos suo tempore dixisse refert factam esse cōceptionem in corde, hoc enim est contra verba Euangelij. *Ecce concipies in vtero*, Luc. 1. & contra illa verba eiusdem Luc. 2. cum Maria desponsata sibi vxore pregnantem. Nam esse pregnantem, verum grauidum manifestè indicat. Quod clarius dixit Matt. 1. *Inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto*. Repugnat etiam rationi, & veritati conceptionis, partus, & maternitatis, vt obijciendo tactum est.

Secundo inferitur concurrisse in ea conceptione omnia, quæ necessaria sunt ad humanam, seu maternam filij generationem: & enim aliquid ex necessarijs defuisset, non fuisset vera conceptio.

Ad primam ergo partem difficultatis propositæ respondeo, si semen maternum simpliciter necessarium est ad concipiendum filium, consequenter dicendum esse B. Virginem per naturalem facultatem partem sanguinis in semen conuertisse, idque ad debitum locum conceptionis transmississe. Quod inter Scolasticos absque formidine concedit Rich. in 3. d. 4. art. 2. q. 1. citatur etiam Mantuanus *tractatu de conceptione Christi*: Qui tamen ita senserit, consequenter dicere debet, illam seminis transmissionem factam esse sine vlla inordinatione, & voluptate, aut aliquo motu concupiscentiæ, vel Spiritu Sancto obumbrante, vel quia subito, & absque vlla commotione, naturalium membrorum facta est. Et inde fit, vt nō magis derogat integritati, & puritati virginitatis, quam solius sanguinis transmissio. Vnde etiam dicendum est, quando sancti dicunt formatum esse Christi corpus ex purissimis sanguinibus, vel à maiori, potiori, & certiori parte materiam hanc nominasse, vel certè sub illa necessariam feminis partem comprehendisse, quia semen quodammodo sub sanguine comprehenditur, quia ex sanguine decocto, & depurato conficitur.

Et hæc sententia probabilis est, incerta tamen, neque frequenter in ore veranda, vt Bonauentur. dixit, in 3. d. 4. art. 2. quest. 1. Vnde satis pium, & probabile etiam est, si quis velit sentire cum D. Thom. hic q. 31. art. 5. ad 3. conceptionem hanc absque vlla feminis transmissione perfectam esse, si propriè, & rigorosè de semine loquamur. Hoc enim dictis Sanctorum, & perfectioni virginitatis magis est consentaneum, & philosophicæ doctrinæ non repugnat, & si repugnaret, potius esset Theologiæ accommodanda, quam è contrario. Primum enim, Arist. 1. de Generat. Animal. cap. 20. & lib. 2. c. 4. in vniuersum negat

fœminam emitte semen, aut ex illo formari foetum: sed solum ex sanguine. Deinde, quamuis totum

hoc Aristoteli non concedamus, est enim creditum difficile, propter rationes, & experimenta, quæ Medici afferunt, licet (inquam) fateamur posse fœminam conficere semen, & illud esse posse partem materiam, ex qua formatur foetus: nihil est tamen, quod nos cogat ad dicendum illud esse simpliciter necessarium ad formationem proles. Quia cum sanguis, & semen parum in substantia differant, & ex sanguine facile possit elaborari semen, cur non poterit etiam naturali modo fieri, vt quamuis interdum fœmina non emittat semen, si sufficientem sanguinis copiam ministrat, & virile semen sit efficax, ac etiam copiosum, hoc ad naturalem generationem sufficit. Præterea Galenus ait non solum semen fœminæ: sed etiam virile materialiter concurrere ad formationem foetus: non est autem dubium, quin possit interdum vnum esse in maiori quantitate, quam aliud, & è conuerso, ergo eadem ratione, etiam si alterutrum desit quoad materialem partem, vel etiam si sit sterile, vel ita indispotum, vt sit ineptum ad formationem proles, si tamen ille defectus ex alia parte, vel ex abundantia, & optima qualitate sanguinis suppleatur, id facit, superque erit ad humanam generationem. Denique cum hæc materia sanguinis & seminis respectu proles sit veluti remota, non est cur applicatio eius in tali dispositione sit simpliciter necessaria. Quia si aliunde ministratur sufficiens materia; per vim formatiuam poterit ea dispositio, quæ necessaria fuerit, effici, ac suppleri. Cum ergo hæc materia necessaria simpliciter non videatur, satis consentaneum est credere, in Beatissima Virgine non fuisse assumptam, sed solum sanguinem, ex quo, sicut Spiritus Sanctus suppleuit id, quod defuit virilis seminis, ita etiam formauit, quidquid ex fœmineo semine formari potest.

Obijci tamen possunt verba Bedæ, lib. 4. in Luc. c. 49. vbi ex professo videtur probare Christum fuisse conceptum ex semine Virginis. *Quæ enim consequentia, inquit, eius lacte credatur nutritus, cuius semen negatur esse conceptus, cum ex vniuerso eiusdemque fontis origine secundum Physicos vterque liquor emanet?* Respondetur ibi solum agere contra hæreticos, vt probet Christum esse conceptum de substantia Virginis, & illam vocat *sementinam materiam*, vt ex verbis antecedentibus constat, & sequentibus, sic enim ait, *Nisi forte putanda est Virgo, sementinam sue carnis materiam nutriendo in carne Dei filio suggerere potuisse, incarnando autem quasi maior, & inusitato miraculo minimè potuiss.* vbi constat per *sementinam materiam* non intelligere semen propriè dictum: non enim illud est, quo nutritur foetus, sed sanguis. Vtrique harum sententiarum est probabilis: dicamus ergo materiam huius conceptionis fuisse sanguinem, nec contendamus, an sanguis ille, quem B. Virgo ad conceptionem Christi ministravit fuerit tantum sanguis rubeus, vel iam ita decoctus, vt albus effectus sit, vel in vtraque dispositione. Siue enim vno, siue altero modo dicatur, nihil virginitati, & puritati Deiparæ derogatur: & sine dubio asserendum est in ea dispositione illum ministrasse, in qua iuxta debitum naturæ ordinem, ministrari à matribus solet: quæ autem sit illa dispositio ex naturali Philosophia petendum est: & tractat prolixè Caieta. 22. q. 134. art. 12.

Ad alteram partem de sanguine menstruo, quidā concedunt, etiam corpus Christi formatum esse ex sanguine menstruo Virginis, Abulen. Matt. 1. q. 25. & Leuit. 12. q. 5. Alij verò negant, quia is sanguis imperfectus est, & quodammodo ad corruptionem tendens, de quo legi potest Caietan. 22. q. 154. articul. 12. Tamen hæc questio potest esse de nomine. Certum est enim iuxta veriorem Philosophorum, & Medicorum sententiam, sanguinem, ex quo forma-

Arist.

Semen fœmina non est simpliciter necessarium ad proles formationem sed sufficit sanguinis ministratio

Galen.

B. Virgo in Christi conceptione materiam sanguinis ministrat non seminis.

Abulen.

Caiet.

SECTIO II.

Virum solus Spiritus Sanctus fuerit causa efficiens conceptionis humane Christi ex Virgine.

Christus ex sanguine menstruo Virginis non est formatus.

formatur fœtus, non esse sanguinem corruptum, sed purum, perfectiusque decoctum, vt D. Th. supra q. 31 art. 3. docuit, & ibi ex Arist. Aug. & alijs diximus: quia tamen natura prouidit, vt fœmina propter necessitatem generationis hoc sanguine abundaret, quâdo illi necessarius non est ad formationem, vel nutritionem fœtus, prouidit etiam modum, quo certis, definitisq; temporibus expelleretur, & fortasse quâdo est in eo statu, vt expellendus sit, iam est imperfectus, & ad corruptionem tendens, & quasi excrementum quoddam, & tunc consuevit appellari *Sanguis menstruus*. Et hoc sensu non formatur fœtus ex sanguine menstruo, vt sic, id est in eo statu constituto, formatur tamen ex illomet sanguine, qui nisi formando fœtui deferuieret, menstruus esset.

Ad tertiam difficultatis partem de modo huius conceptionis, dicendum est quæstione sequenti. Et quod ad vim effectricem pertinet, dicemus in sectione sequenti: nunc breuiter responde, in conceptione tres actiones distingui posse. Prima est congregatio sanguinis materni in vtero. Secunda, formatio fœtus remota. Tertia, vltima dispositio, & informatio fœtus. Quod si comprehendamus etiam nutritionem proles, quæ vsq; ad perfectionem, & quasi maturitatem perducitur, id est, vsque ad natiuitatem (nam hæc est veluti perfectio, & consummatio conceptionis) in illa distingui poterunt illæ tres actiones proportionem seruata, quia necesse est, & ministrari nutrimentum, seu materiam nutritionis, & disponi, ac tandem conuerti, & animari: tamen in hac posteriori parte nulla est difficultas: tum quia est veluti extrinseca conceptioni: tum etiam quia post Christum conceptum, reliqua naturali modo perfecta sunt, Virgo enim alimentum præstabat purissimum & perfectissimum eodem genere actionis, & motus, quo alia matres, quia nihil erat quod impediret: neque est vlla ratio, & fundamentum ad miracula non necessaria constringenda. Quod autem pertinet ad tres priores actiones, duæ postremæ non pertinent propriè ad ministrationem materiæ, sed ad formationem, de qua sect. sequenti dicendum est: tantum ergo superest prima actio, quæ naturaliter fit per naturalem facultatem ipsius vteri, qui suscepto virili semine, vel ab illo quasi excitatus, aut fortasse etiam adiutus, statim attrahit ex venis sanguinem formando fœtui conuenientem. Hanc ergo actionem etiam habere potuit Beata Virgo, vt vitali modo hunc sanguinem ministraret, solum duplici ratione fuit illa actio miraculosa. Primò, quia absque susceptione virilis seminis, facer illius venter sanguinem attraxit supplente Spiritu Sancto vim illam, quàm virile semen confert ad huiusmodi actionem, vel certè altiori modo excitando illam facultatem actiuam, vt suam actionem exerceret. Secundò, quia illa attractio multo breuiori tempore, quam naturaliter posset, effecta est. Hæc autem duplex ratio miraculose operandi non est contra rationem veræ generationis, quia non mutauit essentialem rationem illius actionis, nec vitalem modum, sed accidentaliter potius illam perfecit. Et eadem ratione addendum est, si fortasse sanguis Virginis prius non erat satis dispositus ad formationem proles, ea nimirum dispositione, quæ proximè antecedit efficaciam seminis, diuinitus fuisse Virginem confortatam, vt subito illam dispositionem efficeret, impediendo materiæ repugnantiam, vel alio simili modo. Potest autem facillè hoc miraculum euitari, sed dicamus diuina prouidentia factum esse, vt Beata Virginis corpus ita nutrireretur, & gubernaretur, vt in eo momento haberet sanguinem rectè præparatum, & aptissimum ad Christi conceptionem.

);(

Non intendimus excludere duas alias Trinitatis personas, supponimus enim opera Trinitatis ad extra esse indiuisa quo ad effectiorem: & ita quamquam appropriatè hoc opus tribuatur Spiritui Sancto: commune tamen esse totius Trinitatis. Sensus ergo quæstionis est, an sit excludendæ omnis alia causa creata proximè efficiens, & solum potest propriè esse quæstio de persona humana, patre scilicet aut matre, quia nulla est alia causa per se, ac propria generationis humanæ.

Supponimus autem secundo, in hac conceptione nullum hominem habuisse efficientiam vllam, quia non est opera viri effecta, & quoad hoc certum est, Spiritum sanctum adhibuisse omnem vim actiuam, quàm virile semen solet in conceptione exercere. Quod totum de hede certum est, & supra probatum, cum de virginitate Deiparæ ageremus. Tota ergo quæstio ad Virginem reuocatur, an scilicet ipsa operata fuerit effectiue cum Spiritu Sancto, vel solus Spiritus Sanctus sine ipsa.

Suppono autem tertio, in Christi conceptione interuenisse duo, nimirum formationem corporis, vique ad vnionem illius cum anima (quam suppono à solo Deo creari) & vnionem totius humanitatis cum Verbo. Hic non agimus de efficientia huius vnionis quia hæc intrinsecè non spectat ad humanam generationem, & quia de causis eius superius q. 2. dictum est, agimus ergo de actione illa, quæ versatur circa corpus vsq; ad perfectam dispositionem, & vnionem cum anima.

Suppono quarto, B. Virginem habuisse omnem efficientiam, quàm necesse est habere fœminam, vt vera mater sit, vt ex dictis in præcedenti sectione manifestum est. Vnde præter actionem illam antecedentem, quæ mater disponit remote, ministratque materiam (de qua iam diximus) certum videtur habuisse Virginem aliquam actionem quasi concomitantem, quàm sine dubio omnes matres habent, quando in vtero formatur corpus, vt rectè docuit D. Th. in 3. d. q. 2. art. 1. Quia ipse maternus vterus calore suo naturali, & spiritibus vitalibus fouet, & conseruat semen, & multum iuuat ad bonam dispositionem, & complexionem corporis. Quæ actio in alijs fœminis durat per quadraginta, vel octoginta dies vsque ad perfectam conceptionem, Beata autem Virgo quia in ea conceptio subito perfecta est, non ideo priuari debuit hac efficientia, & ideo ei datum est, vt subito efficeret totam illam dispositionem, quam hoc modo, & per has qualitates in naturali tempore effectura erat. Igitur quæstio solum superest de principali illa actione, quæ propriè dicitur formatio fœtus, quæ consistit in organizatione corporis vsque ad vltimam dispositionem.

De qua duplex est Theologorum opinio. Prima affirmat, quidquid est efficientiæ in illa actione, tribuendum esse soli Spiritui Sancto, & Beatam Virginem materiam ministrasse duntaxat. Ita D. Thom. hic & quæstion. sequenti, artic. 4. ad 2. & Caietan. hic, & in 22. quæstio. 154. artic. 12. Richard. in 3. distin. 3. artic. 2. quæst. 2. Capreol. d. 4. & ibi Palud. quæst. 2. in fine, & Marfil. quæst. 5. artic. 2. Fundamentum Philosophicum est, quia putant hi Doctores cum Aristot. 1. de gener. animal. cap. 20. & lib. 2. cap. 4. in omni humana generatione matrem non concurrere actiue, sed solum ministrare materiam: Theologicum autem fundamentum D. Thomæ fuit, ne concederet Virginem in hac conceptione emisisse semen, quia hoc puritati, & virginitati eius derogare videretur. Quod tamen necessarium fuisset, si Beata

D. Thom.
Caiet.
Richard.
Capreol.
Palud.
Marfil.
Aristot.

si Beata Virgo aliquid effectura erat, nam tota vis actiua in humana generatione est medio semine. Neque enim satisfacit, si quis dicat, quamuis alia mater efficiant per semen, Virgini supernaturaliter datum esse, ut sine semine haberet totam illam efficientiam, quam alia mater habere solent. Hoc (inquam) non satisfacit, quia si hæc efficientia feminæ necessaria est ad generationem humanam, & in ea fundatur ratio, & relatio matris, ut B. Virgo genuerit tanquam vera mater, necesse est, ut per facultatē hanc animæ vegetantis, & per vitalem actum eius genuerit, hæc autem facultas non est nisi vel ad formandum semen, vel in virtute, quæ in illo residet, ergo, si ab his non processit actio, non fuit vera generatio, ergo, ut dicamus Virginem non emisisse semen, & nihilominus verè genuisse, dicendum est, ex parte matris generationem humanam non consistere in actione feminis, sed solum in ministracione materiae.

Bonauent.
Sed.
Gabr.
Mai.
Galen.

Secunda sententia est, Beatam Virginem effectiue operatam esse cum Spiritu Sancto ad Christi conceptionem. Hanc sequuntur plures Theologi in 3. distinct. 4. Bonauentura, articulo 2. quæstio. 1. Scot. & Gabr. quæst. vnica, & Maior. quæst. 3. Fundamentum eorum est, quia sentiunt cum Galen. 14. libr. de vsu partium, & lib. 2. de semine, feminas concurrere effectiue ad generationem proles emittendo semen debile quidem, & imperfectum, & ideo per se insufficientes, ut ipsum solum formet foetum, non tamen carens omni vi agendi, coniunctum enim cum semine viri vnum integrum generationis instrumentum componit. Quam sententiam Galenus varijs experimentis, & rationibus probat. Ea verò supposita concludunt prædicti Theologi, Beatam Virginem in conceptione Christi adhibuisse eandem vim, quā alia mater adhibere solent. Tum quia Spiritus Sanctus solum suppleuit defectum patris. Tum quia alias ipsa non fuisset vera, ac perfecta mater Christi.

Non spectat ad præsentem locum, ut controuersiam inter Aristotelem, & Galenum dirimamus: est enim valde difficilis, & ambigua, & non potest hoc loco pro dignitate tractari, neque huius materiae grauitas id patitur, obiter autem, & sine efficienti examine illam definiendo, iniuria tantis Philosophis fieret: præsertim quia si cum Aristotele sentiamus, rectè sequitur Beatam Virginem non habuisse in conceptione Christi efficientiam: Si verò cum Galeno teneamus feminas habere vim administrandum semen efficacem, & operatum simul cum semine viri, non ideo necessariò cogimur fateri Beatam Virginem transfudisse hoc semen in matricem, & per illud cooperatam fuisse conceptioni. Quia quamuis femina possit tale semen præstare, non inde fit, illud esse simpliciter necessarium ad generationem, sicut supra de materiali semine dicebamus. Quia virtus actiua huius feminis eiusdem rationis erit cum semine virili, & solum concurrent ut partes vnius agentis integri, ergo posset tam efficax, & copiosum esse semen virile, ut etiam si maternum deficiat, si aliunde ministraretur sufficiens materia, illud solum sufficiat ad efficiendam conceptionem. Patet consequentia, quia vis actiua, quæ completur ex quantitate, seu partibus integralibus eiusdem rationis, ablata vna parte potest per aliam similem suppleri. Nihil enim refert, quod semen sit a viro, vel a femina decusum, si alioqui sit eiusdem rationis, & in sufficienti quantitate. Eò vel maximè, quod semen feminæ dicitur debile, & parum actiuum, vnde fit, ut eius vis facile suppleri possit per nonnullum augmentum virilis feminis, vel in quantitate, vel in qualitate illius, quamuis è conuerso solum femininum semen non possit supplere actionem viri, propter remissam virtutem, quam habet. Quod

A si hoc verum est, ut certè est probabile, dicendum erit, quamuis mater possit concurrere actiue: tamen hoc non esse de ratione matris, & ita non oportuisse Virginem habuisse hanc efficientiam, ut vera mater esset, & decuisse, ut illam non haberet, ut eius virginitas omnino pura & illibata permaneret.

Sed adhuc facta illa hypothese, obijci potest contra hunc dicendi modum. Primò, quia licet necesse non sit, ut femina concurrat actiue, quando est impedita, vel infœcunda ad formandum semen, tamen si fœcunda sit, & nihil obstat, naturalis ordo postulat, ut ipsa concurrat, sed Beata Virgo propter optimam complexionem, & ætatem, fœcunda erat, & ad perfectum generationis modum apta, ergo, ut ex parte sua naturali modo conciperet, debuit efficere. Secundò, quia estò possit esse mater sine hac efficientia, dubitari tamen non potest, quin perfectiori modo mater sit, quæ non solum effectiue ministrat materiam, sed etiam format foetum: & consequenter perfectior matris relatio inde consequetur, cur ergo priuabimus Virginem perfectissimam ratione, & relatione matris? Tertio addere possumus, propter hanc causam virginitatis perfectionem in nullo diminui: quia in primis, quod Beata Virgo per naturalem facultatem generatiuam semen eficeret, non est contra virginitatem, & castitatem, quia illud est merum opus naturæ, sicut est naturalis digestio, vel concoctio cibi. Quod verò semen illud postea transmiserit ad locum, in quo formatur proles, non magis videtur contra virginitatem, quam transmissio sanguinis, quia illa transmissio fieri potuit obumbrante Spiritu Sancto sine vlla concupiscentia, titillatione, aut impudico motu, qui posset sensibilem delectationem parere: materia autem virginitatis non est nisi delectatio sensualis, & talis feminis resolutio, quæ nata sit illam causare, ut D. Thom. docuit. 2. 2. quæst. 152. articulo 1. D. Thom. ergo virginitatis perfectio huic efficientiæ nihil obstat.

Obiectio.

Hæ rationes faciunt sanè valde probabilem posteriorem sententiam, & explicando illam eo modo, quo in obiectionibus insinatur, & supposita Galeni sententia, est multum verisimilis, & non aliena à modo loquendi Sanctorum Patrum. Damascenus libro tertio, capite secundo, dicit, Spiritum Sanctum in Virginem superuenientem, vim ei tum ad suscipiendum Verbi Deitatem, tum ad gignendum suppedita. Clarius Anselmus libro de conceptu virginali. c. 13. & 14. dicit corpus Christi formatum esse de semine Virginis. Et obijciens sibi, quia conceptio ex femina est immunda, respondet, hoc intelligendum esse de illo semine, quod cum consensu feminatur voluptatis, semen autem de Virgine sumptum fuit absque vlla voluptate, & ideo purissimum fuit: Ex quo constat Anselmum de proprio, & effectiue semine loqui.

Responsio.

Damasc.

Anselm.

Nihilominus tamen opinio sancti Thomæ satis probabiliter defendi potest modo supra dicto. Negare enim simpliciter, & in vniuersum matrem habere vim agendi in conceptione, aut posse emitte- re effectiuum semen, difficile existimo esse consideratis omnibus sensibilibus signis, quæ partim ex anatomia, partim ex alijs effectibus conspiciuntur. Quod verò semen actiuum feminæ non sit simpliciter necessarium, mihi valde probabile est, quia opinio posita dici consequenter potest, etiam si femina fœcunda sit, & semine abundet, non propterea illud esse simpliciter necessarium ad generationem. Quamquam, si talis femina naturali modo concipiat, consequentione quadam naturali necessariò illud emittet, siue hic, & nunc necessarium simpliciter sit, siue non, quia per se ordinatum est ad generationem, & per talem motionem, & actum necessario emittitur, hæc autem necessitas non habuit

Virginem in Christi conceptione non actiue concurrisset per feminis effusionem, probabilissimum est.

habuit locum in Virgine, quia modo naturali non concepit, nec cum illis motibus imperfectis, qui seminis effusionem excitant. Neque propterea aliquid de perfectione matris demitur Virgini: tum quia ad perfectam matris rationem satis est, quod ea omnia præstiterit, quæ ad veram generationem humanam necessaria sunt: tum etiam, quia si quid fortasse illi defuit de actiuitate seminis, tamen in ministratio-
*Virgo sine
vlla etiam
seminis ac-
tione, per
fessionem
Christi
concepit, &
genit.*
 ne materiæ alias matres excessit: aliorum enim filiorum corpora (vt est probabilis sententia Galeni) partim ex virili semine, partim ex sanguine matris materialiter formantur, corporis autem Christi materia ex sola matre sumpta est. Deinde etiam excessit in illa actione, quia materiam præparauit, fouit, ac disposuit, quæ non parum confert ad humanam generationem, præsertim cum tota efficientia causæ proximæ circa dispositionem materiæ, & corporis organizationem versetur, neque enim potest animam efficere, neque illam aliter corpori vnire, quàm illud perfectè disponendo. Quod si absque hac seminis transmissione possumus veritatem, proprietatem, ac perfectionem matris tueri, non videtur posse negari, quin hoc virginis puritatem aliquo modo augeat, quia in Deipara non tantum id, quod formale, & quasi morale, & studiosum est in virginitate, sed etiam id, quod est quasi materiale, debuit esse omni ex parte perfectum, & ideo integerrima in corpore seruata est, & ab omni illecebra voluptatis naturali, & involuntary præseruata. Effusio autem seminis, etiam si sine voluptate fiat, est pars huius materiæ, & ideo omnis carentia illius ad perfectionem virginis pertinere potuit saltem ex parte materiæ.

Neque Damascenus contrarium dixit, absolute enim loquitur de vi generandi, quàm non negamus in Virgine fuisse, atque per vim Spiritus Sancti eleuatam esse, & confortatam, vt efficacius, ac velocius operaretur, quàm naturaliter posset. Anselmus verò magis videtur loqui de materiali, quàm de efficiēte semine, & explicari potest eo modo, quo verba Bedæ præcedenti sectione explicuimus, omnis enim materia generationis humanæ solet interdum seminis nomine significari.

SECTIO III.

Vtrum potuerit B. Virgo Christum Deum, & hominem ex viro concipere.

Questio hæc non potest intelligi de potentia ordinaria, quia in his præsertim rebus, quæ à sola diuina voluntate, & potentia pendent, illud solum potest dici possibile de potentia ordinaria, quod Deus facere decreuit, quodque diuinis mysterijs magis est consentaneum, & hoc sensu constat non potuisse Deiparam ex viro concipere. Intelligenda ergo quæstio est de potentia absoluta, quam non mouissem, nisi in quodam D. Thomæ interprete legissem, hic. q. 31. artic. 4. esse impossibile Christum Dominum potuisse habere patrem naturalem in terris. Et fundamentum est, quia generatio actiua non terminatur ad humanitatem, sed ad personam, ergo actio virilis seminis terminatur ad esse personæ le hominis, ergo implicat contradictionem hominem Deum generari per actionem virilis seminis, oportet enim illam actionem terminari ad esse personæ talis hominis, & consequenter ex vi talis actionis vniri humanitatem personæ diuinæ, quod implicat contradictionem. Nulla enim creatura potest concurrere efficienter ad hoc, vt persona diuina communicet suam substantiam personæ creatæ, quia illud esse, est supra omnem ordinem creaturæ, & ideo contineri non potest in eius virtute, & potestate. Confirmari potest hæc sententia, quia non potuit Deus homo ita concipi, vt ex vi suæ originis ef-

fect obnoxius originali culpæ, hoc enim repugnat dignitati Verbi Dei, sed si conciperetur ex viro, peccato originali fuisset obnoxius, ergo.

Dicendum verò est absque vlla dubitatione, potuisse Deum hominem concipi, & generari ex muliere opera viri. Hanc assertionem cenfeo ad eam certam, vt contraria nec probabilis, nec verisimilis sit. Probatum primo, quia non implicat contradictionem, vt patebit statim faciliè soluendo obiectiones factas. Et præterea declaratur, quia Deus potest assumere in vnitatem personæ naturam hominis geniti ab alio homine (vt supra ostensum est quæst. 4.) ergo potest assumere illam naturam in primo instanti, quo perficitur generatio. Nam si in posteriori tempore assumi potest ablata substantia, quam iam habebat, cur non poterit in primo instanti assumi, & præueniri, ne suat substantia propria? Secundò ita declaratur, quia vel vniò hypostatica humanitatis ordine naturæ supponit vnionem partium, & compositionem humanitatis, vel è contrario prius natura partes assumuntur, & postea inter se vniuntur, & ipsi mediantibus assumitur tota humanitas. Si primum dicatur, ergo fieri rectè potuit, vt actio virilis seminis versaretur circa corpus formandum vsque ad vltimum instanti generationis inclusiue, animamque illi vniendam, totamque humanitatem componendam, & quod in posteriori signo naturæ assumeretur illa humanitas, priusquam intelligeretur subsistens. Si autem dicatur secundum (quod verius est) certè cum anima prius natura creetur, quàm vniatur corpori, posset prius natura assumi à Verbo, etiam si corpus, cui erat vnienda, virili semine organizatum esset: & eadem ratione posset idem corpus in eodem instanti prius natura assumi, & posterius natura in eodem instanti posset illa partes vniri, ex vi illarum dispositionum, quæ virtute eiusdem seminis in tali corpore fierent. In his enim omnibus non solum non est contradictio: sed nec difficultas vlla: quin potius si verum est (vt est probabile) B. Virginem concurrisse effectiue, alterutro ex his modis necessario philosophandum est. Denique, quamuis de facto conceptio Christi non fuerit facta opera viri: tamen in ipsa effectiue Spiritus Sancti distinguenda est duplex actio, altera est conceptio actiua, altera vnitio hypostatica, nam hæc duæ sunt valde distinctæ: per priorem enim suppluit defectum, & efficaciam virilis seminis, & id efficit, quod homo effecturus erat, licet altiori modo, quo etiam posset Spiritus Sanctus formare purum hominem sine hypostatica vnione, ergo etiam potuisset totam hanc actionem permittere homini, & virili semini, quamuis in eodem instanti ipse esset aliam actionem, seu vnionem hypostaticam operaturus. Quocirca valde absurdum, & ridiculum existimo sentire, potuisse Deum facere vt homo sit Deus, & Deus homo, & vt aliqua femina sit mater Dei: & tamen facere non potuisse vt aliquis vir pater Deus existeret.

Ad fundamentum ergo respondetur, actionem virilis seminis terminari quidem ad personam subsistentem in natura, vt ad vltimum terminum, qui genitus, vel natus denominatur, versari autem proximè circa naturam vniendo partes ex quibus componitur, ex qua compositione resultat suppositum. Et id eod, si pater generaret filium, cuius naturam Deus assumeret in instanti generationis eius, vt ille pater diceretur verè genuisse talem filium hominem Deum, non esset necessarium, vt effectiue attingeret vnionem hypostaticam in ipsa humanitate cum Deo, sed satis esset, vt in eodem instanti vniiret inter se animam, & corpus Dei vnita. Sicut homo generat hominem subsistentem, quia vnit inter se animam, & corpus substantia, quamuis illas partiales substantias ipse non effecerit. Exemplum sunt euidentia, hoc enim modo Christus nutriebat se,

*Beata Virgo
Christum Deum
hominem ex viro
potuit concipere.*

*Responsio
ad argu-
menta in
oppositum.*

bat se, effectiue attingendo illam aggenerationem partialem: quæ in nutritione fit, quamuis effectiue non faceret hypostaticam vnionem illius partis materiæ. Sicut etiam verè dicuntur Iudæi interfecisse Deum, quia dissiuerunt animam à corpore, & è contrariò, si Deus vsus esset creatura ad suscitandum Christum, illa diceretur verè suscitasse Deum, & effectiue hunc hominem, quamuis vnionem hypostaticam non effecisset. Adde præterea, quamuis contradictionem implicet, hominem per illam actionem seminis, quæ ad generandum necessaria est, vnire effectiue humanitatem Verbo, quia illa est actio naturalis, & à virtute naturali tantum procedens, quod ad vim argumenti pertinebat, cui iam responsum est: non tamen implicare contradictionem creaturam assumi à Deo, vt instrumentum ad illam vnionem faciendam, vt probaui latè supra quæst. 2. Quia tota illa actio versatur circa humanitatem, & id, quod per illam formaliter fit, est quid creatum, & finitum, quamuis terminetur ad subsistentiam Verbi infinitam, quod non refert, quia non oportet, vt illa subsistentia contineatur in virtute, & potentia instrumenti.

Ad confirmationem respondetur, concipi opera viri latius patere, quam generari ab homine lapsò, & descendente ab Adamo, posse enim denuo creari homo à quo Christus generaretur, & hoc latè esset ad intentionem nostram, loquimur enim simpliciter de absoluta potentia. Secundò dicitur, hec in homine lapsò habere efficaciam argumentum, quia licet humanitas talis hominis, si sibi in se relinquere, vt in propria persona subsisteret, ex vi suæ conceptionis, obnoxia esset originali peccato, tamen supposita vnione hypostatica, ex vi illius feret immunis ab originali culpa, vt dixi latius in 1. com. q. 15. disp. 33. sect. 2. conclus. 2.

QVÆSTIO XXXIII.

De modo, & ordine conceptionis Christi, in quatuor articulos diuisa.

De qua disputant Doctores in 3. sentent. d. 3.



Einde considerandum est de modo, & ordine conceptionis Christi.

Et circa hoc quaruntur quatuor.

Primo, vt in primo instanti conceptionis fuerit formatum.

Secundo, vt in primo instanti conceptionis fuerit animatum.

Tertio, vt in primo instanti conceptionis fuerit à Verbo assumptum.

Quarto, vt in primo instanti conceptionis fuerit naturalis, vel miraculosa.

ARTICVLVS I.

Vtrum corpus Christi fuerit formatum in primo instanti conceptionis.



Primum sic proceditur. Videtur, quod corpus Christi non fuerit formatum in primo instanti sue conceptionis. Dicitur enim in Ioan. 2. Quod triginta & sex annis edificatum est templum hoc, quod exponens Augustinus in 4. de Trinitate dicit. Hic numerus perfectioni Dominici corporis aperte congruit. Et in lib. 38. Quæstionum dicit. Non absurdè quod triginta & sex annis dicitur fabricatum esse templum, quod corpus eius figurabat, vt quot anni fuerunt in fabrica templi, tot dies fuerunt in corpore Dominici. Fr. Suarez. Tom. 2.

Tom. 1. disp. 10. sect. 1.

180.
Id. q. 5. ar. 2. & 4. con-
tra 44.
li. 4. de Trin.
1. in prin. c.
12. l. 83. qu.
95. in fin.
104.

perfectiōe. Non ergo in primo instanti conceptionis corpus Christi fuit perfectè formatum.

2. Præterea, Ad formationem corporis Christi requiri batur motus localis, quo purissimi sanguines de corpore Virginis ad locum generationi congruum, peruenirent. Nullum autem corpus potest moveri localiter in instanti: eo quod temporis motus diuiditur secundum diuisionem mobilis: vt probatur in 6. Physic. Ergo corpus Christi non fuit in instanti formatum.

1. 6. phys. text.
27. 38. & 39.
10. 2.

3. Præterea, Corpus Christi formatum est ex purissimis sanguinibus Virginis, vt supra habitum est. Non autem potuit esse materia illa in eodem instanti sanguis, & caro: quia sic materia simul fuisset sub duabus formis. Ergo aliud fuit instans, in quo ultimo fuit sanguis, & aliud in quo primo fuit caro formata. Sed inter qualibet duo instantia est tempus medium, ergo corpus Christi non fuit in instanti formatum, sed per aliquod tempus.

q. 31. art. 5.

4. Præterea, Sicut potentia augmentatiua requirit determinatum tempus in suo actu, ita etiam & virtus generatiua: vt c. 9. nim est potentia naturalis, ad vegetatiuam animam pertinens. Sed corpus Christi fuit determinato tempore augmentatum, sicut & aliorum hominum corpora: dicitur enim Luc. 2. quod proficiebat sapientia, & ætate: ergo videtur, quod par ratione formatio corporis eius, quæ pertinet ad vim generatiuam, non fuerit in instanti, sed determinato tempore, quo aliorum hominum corpora formantur.

Sed contra est, quod Gregor. dicit in 8. Moralium, Angelo nuntiante, & Spiritu sancto adueniente, mox Verbum in vtero, mox intra vterum Verbum caro.

li. 18. c. 35 in pri. no.

Respondendo dicendum, quod in conceptione corporis Christi tria est considerare. Primo quidem motum localem sanguinis ad locum generationis: secundo, formationem corporis ex tali materia: tertio autem augmentum, quo perducitur ad quantitatem perfectam. In quorum medio ratio conceptionis consistit, nam primum est conceptioni præambulum, tertium autem conceptionem consequitur. Primum autem non potuit esse in instanti: quia hoc est contra ipsam rationem motus localis corporis cuiuscumque, cuius partes successinè subintrant locum. Similiter, & tertium oportet esse successiuum: tum quia augmentum non est sine motu locali: tum etiam quia procedit ex virtute animæ iam in corpore formato operantis, quæ non operatur nisi in tempore. Sed ipsa formatio corporis, in qua principaliter ratio conceptionis consistit, fuit in instanti, duplici ratione. Primo quidem propter virtutem agentis instanti, scilicet Spiritus sancti, per quem corpus Christi est formatum, vt supra dictum est. Tanto enim aliquod agens citius potest materiam disponere, quanto maioris virtutis est. Vnde agens infinite virtutis, potest in instanti materiam disponere ad debitam formam. Secundo, ex parte personæ Filij, cuius corpus formabatur: non erat congruum vt corpus humanum assumeret nisi formatum. Si autem ante formationem perfectam aliquod tempus conceptionis præcessisset, non posset tota conceptio attribui filio Dei, quæ non attribuitur ei nisi ratione assumptionis. Et ideo in primo instanti, quo materia aduata peruenit ad locum generationis, fuit perfectè formatum corpus Christi, & assumptum. Et per hoc dicitur ipse filius Dei conceptus: quod aliter dici non posset.

q. 31. art. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Augustini vtroque, non refertur ad solam formationem corporis Christi, sed ad formationem simul tum determinato augmento vsq; ad tempus partus: vnde secundum rationem illius numeri dicitur perfici tempus nouem mensium, quo Christus fuit in vtero Virginis.

Ad secundum dicendum, quod motus ille localis non comprehenditur infra ipsam conceptionem, sed est conceptioni præambulus.

Ad tertium dicendum, quod non est assignare vltimum instanti.

K

instanti